



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...**

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex  
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum  
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

**López, Luys**

**Lvgdvni, 1588**

Praefatio Petri Matthaei De Operis Vtilitate Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41259**

PRÆFATIO  
PETRI MATTHÆI  
DE OPERIS UTILITATE  
AD LECTOREM.

**I**N duos tomos opus hoc diuidi voluit Author, cuius votis beneuolè fauentes idem præstādum hac editione duximus.

Vtriusque tamen materiæ ita coniunctæ sunt vt earū cognitio bipartiri minime debeat tradunt enim suas mutuas operas ita vt meritò putetur *ἕν τ' αὐτῶν ξυμφύσαι* hoc est in vnum coalescere eò enim tendunt vt conscientiam instruant, à sordibus inueterati sceleris purgent, virtutis splendoribus illustrent, ab ignaua boni operis torpedine excitent vitiorum & contumeliarum excidio, cœlestia promereamur præmia, temerè enim angimur peccato duce aliquid fœlicitatis adipisci, expurgandum est vetus fermentum, exuendus est prior homo, vt in nascatur nobis summum bonum, inconstans tenebricosæ rationis deserendum est iudicium & ad reconditam in Christi beatitudinis



4  
titudinis lucem virtutum omnium meritis  
concedere. Sed nostra atas adamantina a-  
deò vecors & pertinax conscientia vel ni-  
hili vel flocci facit, quod nobis à summo o-  
pifice tam ferio commissum est conscien-  
tia scilicet candorem & integritatem.

*Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,  
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara,  
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,  
Lurida terribiles miscent a conita nouerca  
Victa iacet pietas, & virgo cede madentes  
Ultima coelestum terras Astraa relinquit.*

Nihil hodie nisi vi ac tumultu agi-  
tur, quæstus gratia omnia corrumpuntur,  
est in promissis perfidia, in obligationibus  
falsitas, in præstandis aut locandis operibus  
inequalitas, in mercede exigenda iniquitas  
adeò vt non parum sit solennis antiqua illa  
parcemia nostris temporibus, de sua quis-  
que artifex arte fur est. Hæc fuit sola ratio  
cur Ludouicus Lopezius huius operis au-  
thor nunquam satis laudatus, in hac secun-  
da parte varias hominum fraudes & dolos  
qui vel in bonorum inuentis vel in illicitis  
possessionibus, in vsucapionibus, vel præ-  
scriptionibus, vel inofficiosis donationi-  
bus, vel in peruariis vel in bonorum diuisio-  
nibus, vel in malè acquisitis, vel in tributo-  
rum



rum extortionibus, vel in grauissimis vsuris  
& cambiatorum lucris, vel in falsis, technis,  
& fraudibus affatim committi solent detegere  
& notare nigro thita voluerit. Adeo vt hec  
secunda pars potior & prastantior in ma-  
teria restitutionis veluti in causa statu &  
cardine versetur, qua prioris partis diffuse  
coronidem locupletauit. Hic enim aperit  
inuentorum restitutionem qua multos in  
varios errorum scopulos impiagere fecit.  
Ast in hac re absque Delio natatore nobis  
est Cynosura veluti & fidelissimus Aca-  
thes, sed vtinam tanta esset efficaciam opti-  
mi viri monitio vt iam homines a praedis,  
a caedibus, ab illicitis contractibus, a falsis,  
a furtis abstinerent, vtinam ius restitutionis  
religiosius obseruaretur sine quo nec In-  
nocentia, nec conscientia, nec conscientia  
securitas conseruari potest. Digna ita  
Christiana lege est Restitutio & ta lauda-  
bilis vt non immerito dici queat a Christo  
alienus, qui hanc non amet, exosculetur,  
& exerceat. Si enim id pulcherrimum est  
quod virtutum ambit circulum quid aequum  
potest cum hac virtute conferri? qua mera  
est Iustitiae excellentia, finis & ratio. qua  
iustum & aequum comitatur, qua homo  
non est homini lupus sed Deus veluti au-  
xiliaris



xiliaris & id quod Deo & sibi & proximo debet, persoluit atque conseruat illibatum. Nunquam hominis impij necessitudine letatur, nūquam suum hospitem furto iniusto adulatur, sed continuis stimulis conscientiam hortatur ad restituendum quod male ablatum est, ne cum horrendo isto vitio sepeliatur corpus exangue in anime periculum. Habemus huius rei domestica exempla ita vt ampliore commonitione non indigeamus. Nihil auditur frequentius in sacris concionibus, quam quod iniuria possessum restituendum sit, ne incautos nox vltima nos emancipet. Leges Cæsarium minime tolerant bona quecunque in Reipublicæ commodum collata que ex rapinis furtisque conflata fuerunt. Posthumum est, serum est, & profecto friuolum credere hæredibus bonorum quæ impiè extorsisti restitutionem. Quod si tuo non moueris exemplo, priscam Patriarcharum veteris testamenti iustitiam mirari incipe, qua tu tibi notus rapinarum negocia proiciis. Primus omnium occurret tibi Abraham dum inquit *leuo manum meam ad dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quod à silo subregminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Apud quos



quos huiusce continentiae exempla extare  
putabimus, certè apud Christianos milites  
rarum vel nullum est. Romana illa militaris  
disciplina suos habet Paulos Aemilios,  
Africanos, Mummios, Curios qui præcla-  
ra trophæa non prædis nec depopulatio-  
nibus iniquis adepti sunt. En senex adest  
constitutus in caligine Thobias excitus  
ad furtivi hædi balatum. *Videre (exclamat)*  
*ne fortè furtivus sit, reddite eum Domino suo,*  
*quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid*  
*aut contingere.* Qua de causa voluerunt Cæ-  
sarum placita malæ fidei possessorem nun-  
quam præscribi & ad restitutionem omni  
rigore vrgeri ac premi, quod si hæc paulo  
altius perpenderentur nõ in laqueos inex-  
tricabiles Syrtes prolaberentur ij qui de  
conscientia minus solliciti sunt, & perpe-  
tuis vitæ quatiuntur molestiis, umbras suas  
extrepidant, perpetua eorum animis furie  
tempestas, non somnus est suavis sed terri-  
bilis & formidine plenus, non cibus probe  
quantumvis conditus voluptatem præbet,  
non musica, non aurum, non vxor, non li-  
beri non reliqua id genus sed quasi carnifi-  
cem circungestaret se lancinantes vel fla-  
gellantes continuò illis post admissum ob-  
ambulâs nullis consciis intolerabiles luen-



ces pœnas, vt & omnes Græcorum & Romanorum testatur historię de Dione, Nerone, Caracalla qui conscientiam scelerum vindicem habuerunt. Hac de causa Ludovicus Lopæsius cuius nomen veluti cogitabundus suspicor pro Conscientię Instructione tutissima, hanc secundam partem edidit cui si obtemperetur non deerit profectò cœlestis auxiliij gratia, nam vt testatur Diuus Mar. Heremita libra *πρωτὸς νόμος πνευματικὸς* de lege spiritali naturalis liber est conscientia, hanc quicumque strenuè & diligenter egerit diuini auxiliij haud dubiè capiet experientiam, poteritque aptissimè Horatiano vti elogio,

*Murus aheneus esto*

*Nil conscire sibi nulla pallefcere culpa.*

Quocirca omnes pios arbitror, flagrare desiderio recognoscendi rem tam præclaram, quam natio & facili docendi genere edocet hic doctissimus Lopæsius ad cuius lectionis parasceuem & periocham veluti hæc præfari voluimus, vt futuris lectionibus præclara, necessaria, cognitúque iucundissima te (optimè Lector) expectare non ignores.